spectantibus colloquar, honorificam
tui faciendi mentionem. Probe
enim scio quid litterae tibi debeant,
immo quid et ego tibi debeam,
qui a te, viro doctissimo, amari
pro felicitatis meae parte haud exi-
gua reputo. Illud itaque solum mo-
leste fero, quod nondum re ipsa, quan-
ti te faciam, quamque propenso in
te sim animo, significare mihi
licuerit. Non tantum autem
ultimas tuas litteras, sed et prio-
res, cum dissertatione tua exqui-
sito studio conscripta, recte accepi;
cumque ex iis intellexerim te su-
premos in iure honores consecu-
tum esse, eos ex animo tibi gra-
tulor, Deumque ut novis indies
incrementis fortunam tuam auge-
at, supplex veneror. Novum tui
erga me amoris argumentum inde
capiam, si me certiorem reddideris,
an forte aliqua ratione ad commoda
tua promovenda aliquid conferre
queam. Cognosces inde me ad omnia

quae ab amico candido et sincero exspecta-
ri poteris, promptum paratissimumque
fore. Vale, vir eruditissime, et quod fa-
cis, mihi porro fave.

Scribebam Senae die VI. Maii
MDCCXXV.